

Bl. 12.

HERCVLES MVSARVM 63

NATALI XXV

REVERENDISSIMI SERENISSIMIOVE PRIN-
CIPIS AC DOMINI DOMINI

MAVRICII GVILIELMI
SAX. IVL. CLIV. ET MONTIVM DV-
CIS POSTVLATI ADMINISTRATORIS EPI-
SCOPATVS NVMBVCGICI LANDGRAVII THV-
RINGIAE MARCHIONIS MISNIAE ET LVSATIAE
VTRIVSQVE PRINCIPIS HENNEBERGIAE COMI-
TIS DE MARCA ET RAVENSPVVG
DYNASTAE IN RAVEN-
STEIN

DOMINI CLEMENTISSIMI

IN AEDE SVA RITE AVSPICA-
TOQVE DEDICATA

A. D. XIII MARTII HORIS POSTMERIDIANIS
COLENDVS.

AD SACRAM PANEGYRIN VOCAT
ET INVITAT

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
R E C T O R.

C I Z A E

Exscripsit Fridem. Hetsstädt/ Ducal. Sax. Numb. Typogr.

000.



Multa miranda veteris Romæ ex antiquis monumentis Iustus Lipsius signavit, quæ in admirationem sui vel spectatores antiquitatis curiosos, vel auditores rapiunt: sed vix admirabilior in ea res vnquam deprehensa fuit, quam coniunctio diuersissimi ingenii deorum in vno templo HERCULIS MVSARVM. Res sane non nostris tantum temporibus mirabilis visa, sed quam etiam Plutarchus in difficillimis & vulgo incognitis adnumeravit. Quæstionem enim Romanam LIX, vt ab vsu & opinione hominum abhorrentem, proponit, *Ματι κοινός ην βωμός Ηρακλέως καὶ Μουσῶν; quare commune templum fuerit Musarum & Herculis?* Ita enim de templo potius, quam altari interpretatur clarissimus vir Læuinus Torrentius, quod Græce scriptum βωμός est. Nec Plutarchus, nec Iuba, quem ille sequitur, antiquarum rerum diligentissimi exploratores, mensuram nominis sui expleuerunt, cum censent factum esse, *ὅτι γρόμματᾶ τῆς περὶ Εὐανδρον ἐδίδασκεν ὁ Ηρακλῆϊς, quod Hercules Euandrum, & equales eius, litteras docuerit.* Quis enim credet, Fuluium Nobiliorem, cum templum hoc dedicauit, ad Euandrum potius & Aborige-

rigenes, quam suæ ætatis res gestas aut mores respexisse? Felicior interpretes Eumenius est, rhetor Gallicanus, pro scholis instaurandis ad Lugdunensis Galliæ præfectum panegyrica oratione, cuius antequam verba expendamus, præstat de origine templi eiusque conditore paucis prænotasse. M. Fulvius Nobilior, qui anno urbis DLXVI de Ætolis triumphauerat, triennio post censor hoc templum exstruxit, in eoque Musarum signa, quæ capta Ambracia Romam transtulerat, collocauit. Plinius lib. xxxv cap. x hæc simulacra memorauit, de Zeuxi pictore scribens, *Fecit & figlina, opera, quæ sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior transferret.* Vno autem templo in Circo Flaminio & Herculis & Musarum sacra coniunxit, idque *Herculi Musarum* dedicauit, cuius vestigiorum fragmina Romæ in ædibus Farnesianis conspiciuntur, ex pauimento Seueri, quo Romuli templum in Via Sacra ornauerat, posteritati relicta, quæ hodieque inscriptionem ostendunt *AEDIS HERCVLIS MVSAR* vt ex Io. Petri Bellorii Vestigiis Veteris Romæ Tab. II cognoscimus. Hæc ædes illa est, de qua Eumenius laudata oratione pro instaurandis scholis cap. VII, *Aedem ait Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit.* Grata Romanis religio, quorum arcanum
rei-

reipublicæ erat, fortitudinem & bellandi peritiam cum humanitatis studiis coniungere, neque ex illo tempore in claris Romanis quisquam fuit, si solum C. Marium, turbinem & facem ciuili bel- li excipimus, quin utroque studio præstare curæ cordique habuerit. Quæ caussa fuit, vt, cum vi- tium ædes vel ætate vel alio casu contraxisset, Marcius Philippus, Augusti Cæsaris vitricus, vt Suetonius in Augusto refert, instaurauerit, quod Ouidius etiam VI Fastorum memorauit

Dicite Pierides, quis vos adiunxerit isti,

Cui dedit inuictas victa nouerca manus.

Sic ego, sic Clio, clari monumenta Philippi,


Adspicis: unde trahit Marcia casta genus.


Nec templum modo Romani condiderunt, quod sacrum Herculi Musarum esset; sed alibi vel sta- tuis positis, vel nummis excusis iucundam sibi gratamque coniunctionem significabant. In Via Appia Herculis statuæ subscriptum est HERCVLI MVSARVM PYTHVS, Grutero testante pag. MLXX; & in vrbe apud Titum Celsum sub Her- cule, lyram & plectrum manu tenente, ΗΡΑ- ΚΛΗΤΩ, ΜΟΥΣΑΓΗΤΗ, hoc est HER- CVLI MVSAGETAE, eodem teste pag. XLVIII. Nummum antiquum ex regio cimelio Io. Har- duinus, Plinii interpres, delineauit, qui HERCVLES MVSARVM inscriptus est, nec Herculem modo cum

cum Iyra, Apollinis & Musarum signo, repræsentat, verum etiam ex altera parte ipsum caput Apollinis habet. O dulce commercium Herculis, Musarum, Apollinis! cui procul dubio arcana quædam & singularis causa suberat, non illa quam Iuba & Plutarchus prodebant, inepta & ab temporibus abluens; sed quam Eumenius, vetus rhetor & panegyrista geminam significauit. De Fulvio Nobiliore enim Eumenius ille: *non id modo sequutus [est] quod ipse litteris & summi poetæ amicitia duceretur, quo Ennium notari Cicero auctor pro Archia est, cum Ætolis, inquit, Ennio comite bellauit Fuluius: non, inquam, id solum sequutus est, sed quod in Gracia acceperat, Herculem Musagetam esse, id est comitem ducemque Musarum; ideo coniungi eorum sacra voluit, idemque primus nouem signa, hoc est omnium Camænarum, ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecrauit, ut res est, quia mutuis opibus & præmiis iuuari ornarique deberent, MVSA-
RVM QUIES DEFENSIONE HERCVLIS, ET VIRTVS
HERCVLIS VOCE MVSARVM. Hæc vera causa
coniunctæ dedicationis est, quia Musæ & scholæ
sine Herculis, id est principum fauore & defen-
sione nec esse nec florere possunt: Herculi sine
Musarum voce debitæ laudes impertiri nequeunt.
Faciunt ergo nostrates Musæ, quod officium est,
dum Herculem suum, hoc est fortissimum serenif-
simumque PRINCIPEM, Musagetem & ipsum
eru-*


eruditissimum, defensorem & numen tutelare, quo debent cultu & veneratione, cum primis hoc natali tempore gratulationibus & piis votis, prosequuntur. Nam non ingrata recordatione lætantur hunc celsissimum PRINCEM esse, cuius præsidio & tutela, etiam amore atque singulari clementia tutæ adhuc & imperturbatæ sacra sua perficere, & humanitatis studiis operam nauare potuerint, sperantque in posterum eiusdem nutu & benignitate fore, vt Herculeam virtutem cum studiis suis coniunctissimam habeant, & contra inuidos quosque & osores litterarum potentissime defendantur. Quod ergo communis officii erat, nobilissimo fratrum germanorum pari ERNESTO LVDOVICO & FRIDERICO HENRICO von Seckendorff/ Equitibus Francis, iniunxerunt, quod hos adolescentes, non minus ingenio, quam generis antiquitate & suorum gloria pollentes, dignissimos iudicarunt, qui tanti PRINCIPIS & Musagetæ laudes publice decantarent. Hi vero qua promptissima alacritate sunt, exemplo etiam illustri domus suæ superstite, vt vetera taceantur, excitati, in se summo studio susceperunt, quod Musarum omnium fuit, & maior quidem natu PRINCEM BONVM, minor PRINCEM DOCTVM oratione sua non inculta admiraturus est. Cum ipsa natalis lux, quæ in hodiernum diem incidit,

cidit, id est in ante diem IIII Idus Martias; aulicis
votis & gratulationibus transigatur; crastinum
diem officiis suis & adprecationibus nostræ Musæ
vindicabunt. Omnes ergo tanti PRINCIPI S cultores
& clientes, patronos nostros, fautores & amicos
identidem, & qua decet obseruantia, rogamus,
vt studium, quod PRINCIPI sua sponte debent,
etiam Musis nostris indulgeant, & crastino die
post preces meridianas in æde Musarum, siue Her-
culis Musarum, adolescentes generosissimos, de o-
ptimi Principis laudibus disserturos, beneuole au-
diant, & sua Musarum votis pro communi salute
coniungant. P. P. Cizæ IIII Idus Martias
CIC ICC LXXXVIII.









Nr 3165
S 80


ULB Halle 3
008 859 221



1007

120





HERCVLES MVSARVM

63

NATALI XXV

REVERENDISSIMI SERENISSIMIOVE PRIN-
CIPIS AC DOMINI DOMINI

MAVRICII GVILIELMI
SAX. IVL. CLIV. ET MONTIVM DV-
CIS POSTVLATI ADMINISTRATORIS EPI-
SCOPATVS

SCOPATVS MAVRICII LANDGRAVII THV-
MISNIAE ET LVSATIAE
HENNEBERGIAE COMI-
ET RAVENSPVRG
IN RAVEN-
EIN

EMENTISSIMI

RITE AVSPICA-
DEDICATA

HORIS POSTMERIDIANIS
ENDVS.

MEGYRIN VOCAT
NVITAT

RVS CELLARIVS,
T O R.

ZAE

Ducal. Sax, Numb; Typogr.



000.